



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

31. De causis legitimæ seruitutis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

Quod autem leges ac iura seruitutem contra naturam esse testantur, id ita accipiendum esse plerique putant, ut sit non quidem contra ius naturalem, sed contra humanam naturam institutionem, & conditionem, quae si seruetur illa, bellum non essent, ac proinde nec essent captiuitates, nec seruitutes introductae. Rupto tamen primo humanae naturae foedere, iure gentium, ac proinde ipsius etiam rationis instinctu constituti sunt Reges, Magistratus, & iudicia; & deinde exorta belli iura, & inde profectae hominum captiuitates, & seruitutes. Ergo seruitus est contra naturam, hoc est, contra id, quod homini natura in prima origine concessit, siue contra facultatem agendi, siue viuendi, ut velis, ab initio cuius hominum a natura datam.

Meo quidem iudicio fortassis ideo iura ciuilia, & leges dixerunt, seruitutem esse contra naturam, quia loquebantur de seruitute, qua apud Romanos ante Imperatorum leges serui erant in potestate Dominorum: nam iure Romanorum antiquo, Domini vitae, & necis in seruos potestatem habebant, & eis tanquam instrumentis quibundam libere utebantur. Et hoc imperium in seruos, cum iure naturali pugnat, nec est iuris gentium, sed humani, & ciuilis.

Ambrosius, Augustinus, Gregorius, vere scripserunt, seruitutem ex peccato natam: quia ut ex sacris litteris constat, si homo, ut est a Deo ab initio conditus in vita innocentia, & probitate persistisset, captiuitates, & seruitutes non fuissent: corruptus per peccatum natura, inter omnes gentes bella, captiui, & serui esse ceperunt.

C A P. XXXI.

De causis legitime seruitutis.

Primo quaeritur, Ex quor, & quibus causis seruitus legitima nascatur? Respondeo, ex multis. Prima, est ius belli: nam sicut ex iusto bello bona capta in captiuentium dominium transeant; sic etiam ipsi homines iusto bello capti, & serui effecti, in captiuentium potestatem deueniunt. *l. Transiugam ff. De acquir. rerum dominio. Et Instit. De rerum diuisione. §. Item ea, ubi legimus: Quae ab hostibus capiuntur, iure gentium nostra sunt: adeo ut liberi homines in seruitutem nostram redigantur. Sic ibi.*

Sed apud Christianos vsu, & consuetudine receptum est, ut Christiani a Christianis bello iusto capti, libertati, data & recepta pecunia restituantur, aut retineantur ut obides: non enim sunt serui captiuentium. *Bartolus in l. Hostes ff. de captiuis. Et postquam reuert.*

Si tamen Christiani iusto bello ab Ethnicis, aut aliis a Christiana fide & religione alienis hominibus caperentur, eorum serui iure gentium fierent. Porro hoc iure belli, quemadmodum pueri, ac caeci: i innocentes necari possent, sic etiam in seruitutem redigi, ut postea dicemus.

Secunda causa seruitutis, est Delictum. Canones enim leges, & iura, quemadmodum ob certa quaedam facinorosa poena capitis, & vltimo supplicio plectunt: sic etiam olim ex lege duodecim Tabularum, debitor, qui solvendo non erat, creditoris seruus fiebat, *teste Gellio libro vigesimo capitulo primo. itaque iura ob quaedam delicta fontes libertate priuant. Capit. eos qui, distinctione trigesima secunda: Urbanus secundus, concedit saecularibus Principibus facultatem, qua serui i subiciantur foeminas, quae nuptias contrahunt cum viris sacris ordinibus initiatis. Cap. Cum mulx, decima quinta quaestione, Ex Concilio Toletano, 9. sancitum est, ut filii procreati ex nefario connubio, contracto cum his qui sunt in sacris ordinibus constituti, serui sint in perpetuum eius Ecclesiae, cui est adscriptus eorum pater. Capitulo, Ita quorundam, de Iudaeis, & Saracenis; Alexander tertius, in Concilio Lateranensi, & Innocentius tertius, in capitulo Ad libertatem, de Iudaeis, ita sancierunt: Ut Christiani deferentes orna, ferrum, & lignamina, ad galeas Saracenorum, aut in galeis, & piraticis*

Saracenorum nauibus, regimini, & cura gubernationis praefecti, serui fiant captiuentium. Capitulo, De Raptoribus trigesima sexta, quaestione prima statutum est, ut raptor, si de violentia illata puellae constituetur, in seruitutem redigatur, aut se redemptum liberam habeat facultatem, puella ei adempta, & parentibus restituta. Si vero puella raptori consenserit, raptor fiat seruus parentis. Olim mulier, quae se alieno seruo supposuerat, monita prius a domino ne id faceret, adempta libertate cum adultero conseruata fiebat. *lege prima, Codice De Senatusconsulto Claudiano tollendo. Ex familia latronum compellenti, fiebant serui comprehendentiur, leg. secunda. Codi. Quibus ad libertatem procliam non licet.*

Item *leg. Si manus missus. Codi. De Libertis. Et eorum liberis, Et Instit. De capitis diminuti. §. Maxima, Libertus ingratum animi crimen, vel aliud committens in patrem, qui ipsum sua sponte manumissus, in seruitutem priuinam reuocatur: non ipso quidem facto libertatem amittit, sed si patrono contra eum agente, fuerit in iudicio criminis condemnatus, & filii eius non ante, sed postea concepti, & nati, serui fiunt. Lege prima, Codice de Mendicantibus, valde libro undecimo, qui sine ulla necessitate mendicant, possunt inspicere: & qui eos inspexerit, & prodierit, & eos esse validos probauerit, dominium eorum adsequitur.*

Tertia causa seruitutis est, Originis conditio. Nam qui ex ancilla nascitur, siue pater sit liber, siue seruus, siue ex matrimonio legitimus, siue aliter procreatus, seruus eius efficitur, cuius ancilla est mater, quia partus in hac te, matris fortunam, & conditionem lequitur. *Sic habetur in l. partum. C. de rei vindic. Et seruorum ff. De statu hominis de iure personar. §. serui autem. Et de Ingeniis, §. Si a quibus. In hac enim parte leges idem iuris esse voluerunt, quod est de fructibus arborum, & foetus animalium. Nam sicut fructus arboris tuae est tuus, & foetus pecudis tuae, tuus est; sic partus tuae ancillae in bonis tuis numeratur: quamuis quod ad honores, dignitates, & familiam pertinet, liberi, non matris, sed patris conditionem sequuntur. *l. Si filiam. Et l. Liberos. ff. de Senatori. l. Exemplo, l. Eos, C. de Decisionibus lib. 10.**

Sed quaestio est, An filii nati post litem contestatam, sequantur matris conditionem, si postea fuerit ancilla, aut libera iudicata? Respondeo, sequi: si filii ante litem contestatam nati nihil nocet sententia postea pronuntiata, *l. vlt. C. De liberali causa. Et l. partum ff. De iur. Quae etiam, Quae sit dicendum de ea, quae cum ancilla est, concepit, sed postea amata, & facta libera peperit? Respondet Iurisconsultus Martianus in l. Et seruorum, ff. De statu hominum, cuius sententiam approbat Iustinianus in Instit. De ingenis. §. Sed et si quis, sufficere liberam fuisse eo tempore quo nascitur filius, licet ancilla conceperit: & contrario, si libera conceperit, deinde ancilla partu, peperit enim qui nascitur, liberum nasci, nec inter. Et iustus nuptis, an vulgo, quis non debet calumitas matris nocere ei, qui in ventre est. *Ex hoc quaesitum est: si ancilla pregnantis manserit, deinde ancilla postea facta peperit, liberumne an seruum pariat, Et tamen rectius probatum est liberum nasci, Et sufficere ei qui in ventre est, liberam matrem, vel medio tempore habuisse. Sic Martianus, & Iustinianus, Paulus quoque Iuri consultus lib. 2. recepta, sentent. tit. 24. sic ait: Si serua conceperit, Et postea manumissa peperit, liberum parit, id enim fauor libertatis extorsit: Si libera conceperit, Et ancilla facta peperit, liberum parit: id enim fauor libertatis extorsit: si ancilla conceperit, Et medio tempore manserit, si. Et rursus facta ancilla peperit, liberum parit, media enim tempora a libertate prodesse, non etiam nocere possunt. Sic ille. Hoc tamen locum habere quidam existimant in seruitute, quae iure ciuili introducta est: veluti si foemina se participandi pretii causa vendi passa sit, non autem in seruitute, quae iure gentium est constituta, ut ore in famina iure belli capta, nam constat natum in eo statu filium seruum esse, ut in Seruio Tullio vsu venit, cuius, *teste Dionysio lib. 4.***

in principio, mater Ocrifia regii sanguinis mulier, bello a Tarquinio Romanorum rege capta, in seruitute pepetit filium, qui ob id Seruius Tullius est nominatus.

Denique si quæras, An quando vsum fructum ancillæ Caius Titio legat, donat, aut vendit, ad fructuarium Titium, an ad proprietariū Caium pertineat? quod est quæ- rere, An sicut in eo, quod pertinet ad seruitutem, partus sequitur conditionem matris: sic etiam in eo, quod spectat ad vsum fructum? Respondet Vlpianus in l. vlt. ff. De vsum fructum: vltus, inquit, fuit questio, an partus ancillæ ad fructuarium pertineret? Sed Bruti sententia obtinuit, in eo loco non habere. Neque enim in fructu hominis homo esse potest: hac ratione, nec vsum fructum in eo fructuarium habebit. Sic ille. Et Caius in l. in pecudum, ff. De vsum. Partus ancillæ in fructu non est, itaque ad dominum proprietatis pertinet. Absurdum enim videbatur hominem in fructu esse, cum omnes fructus rerum natura hominum gratia comparauerit. Hæc ille.

Quam sententiam amplexus est etiam Iustinianus in Inst. De rerum diuis. In pecudum. Cicero lib. I. de Finibus meminit huius quætionis inter Iurisconsultos: An partus, inquit, ancillæ sit in fructu habendus, differitur inter principes ciuitatis Pub. Scæuolam, & M. Maniliū, ab hisq. M. Brutus dissentit. Ita Cicero, Scæuola itaque, & Manilius sentiebant partum ancillæ in fructu habendum: quod colligebant ex eo, quod animalium fetus, & arborum fructus ad fructuarium spectant. Deinde quia quidquid ex serui operis acquiritur, in domini bonis numeratur, eo quod non sine opera, & impensis domini fructum concepit, conceptum edit, & editum seruat & alit: ergo partus ancillæ in fructu censetur. At Brutus vnica tantū ratione mouebatur, quod nimirum omnium rerum fructus natura, hominis gratia procreauit: & hæc ratio apud omnes Iurisconsultos postea valuit. De hac quætionem latius tractabo, cum agam de vsum fructu, par. 3. lib. 2.

Quarta caula, Ex qua seruitus nascitur, est iure ciuili interducta: cum quis viginti annis maior se venire participandi pretii cautia passus est. Et seruum, ff. De statu hominum. In qua causa quatuor, aut quinque requiruntur, vt Glossa ibidem annotauit. Primum iusta ætas, nempe, ne sit minor viginti annis. Si minor sit, C. De liberali causa. Secundo consensus vendendi, vt scilicet quis sinat se vendi. l. Non ideo, C. De liberali causa. Tertio, vt pretium participet, l. i. ff. Quibus ad libertatem proclamare non licet. Quarto, notitia conditionis, nempe, vt emptor credat esse seruum quem emit, l. Liberis, §. Si quis sciens, ff. De liberali causa: & is qui vendi se patitur, sciat se liberum esse, l. Licetius, ff. Quibus ad libertatem proclamare non licet: & is qui vendit, sciat etiam liberum esse eum quem vendit.

Secundo quæritur, An iure gentium cuique fas sit seipsum alteri vendere: Constantis est omnium opinio, fas esse, quoniam quisque tum suæ libertatis, tum famæ, & honoris sui dominus est. Deinde cuique licet suas operas alteri locare, ergo & vendere. Accedit his, quod Paulinus Episcopus Nolanus, vt cuiusdam viduæ filium à seruitute redimeret, se seruituti mancipauit. Greg. lib. 3. Dial. c. 2. & 3. Præterea in veteri lege licebat Hebræo seipsum alteri Hebræo vendere: quamuis potius se locabat, quam vèdebat, quia ad septem annos, aut plurimum quinquaginta in ea seruitute laborabat: postea ad pristinam libertatē redibat.

Quæres deinde, An liberum cuique sit seipsum vendere gratia egestatis? Consonans est omnium sententia, id iuris cuique esse: quia vita est libertate pretiosior, & cætor. Sed quætionis est dubiæ, an nobis liceat emere eum, qui se egestatis causa vendidit: nam ad grauem, vel extremam inopiam redactō gratis, & liberaliter lege charitatis cogimur subuenire. Nauarrus in Man. cap. 23. num. 65. respondet, id nobis licere facere, quoniam non compellimur lege misericordie grauis succurrere, sufficit enim mutuo pecuniam dare, ac proinde etiam pretio dato operas hominis indigentis conducere. Sed certe distinguendum est: aut is qui indiget, nihil hic, aut alibi habet, aut seus Rursum, aut nihil nunc habet, aut reuera habebit postea. Si igi-

tur ita simpliciter indiget, nihil vt alibi habeat, nec postea sit habiturus, liberaliter est eius egestas subleuanda: non pretio libertas emenda: si autem alibi habeat, aut postea sit habiturus, licet nobis, vel mutuum aliquid dare, vel eius operas mercede conducere, vel pretio libertatem eius emendo redimere. Pari ratione cuique licet seipsum vendere causa egestatis, qua parens laborat, item, vt Principem pretio redimat.

Deinde quæres, An si quis in eas angustias sit redactus, vt ab hostibus, aut Tyranno, vel latronibus sit necandus, liceat nobis pretio eum emere, ne interimatur; an vero potius charitatis lege cogamur illum pretio gratis & liberaliter dato redimere? Respondet Nauas in Man. cap. 23. num. 65. fas nobis esse pretio illum emere, nec lege misericordie cogi nos eum gratis, & liberaliter redimere. Sed hic est etiam distinguendū: si alibi nihil habeat, nec postea sit habiturus, liberaliter est illi subueniendum; si commode possumus: si autem alibi habeat bona, aut postea habiturus sit, iure non cogimur liberaliter redimere, sufficit si vel mutuum ei pecuniam demus, vel eius operas futuras conducamus mercede, vel pretio emamus.

Tertio quæres, An licitum sit alicui seipsum lucrī, & quæstus causa vendere? Alicubi est vsu receptum, vt quidam ætate, & viribus valentes alea ludant ea lege, & conditione, vt victi, seruituti tradantur ad remigandum in trimibus: quod si victores euaserint, pecuniam expostitam ludo sibi comparent: & solet Respublica, aut Magistratus huiusmodi conditionis hominibus pecunias ad ludendum tradere. Scribit Tacitus in libello de moribus Germanorum, apud eos hunc morem fuisse. Aleam, inquit, (quod mirere) sobrii inter serua exercent, tanta lucrandi, perden- dæve temeritate, vt cum omnia defecerunt, extremo, ac nouissimo iactu de libertate, & de corpore contendunt: victus voluntariam seruitutem adit; quamuis iunior, quamuis robustior alligari se, ac venire patitur: ea est in re praua pernicacia, fidam ipsi vocant Hactenus ille.

Dubitari non potest quin peccet is, qui seipsum sine vlla iusta causa vendit: nam est prodigus suæ libertatis venditor. Peccat iridem is, qui cum aliquo, suæ vitæ periculo se vendit causa lucrī. Ex quo fit, vt cum vita remigum fuerit, aut mortis periculo, aut peccatis obiecta, non liceat alicui se ad remigandum vendere: Si vero id vitæ genus his malis cauerit, non video cur sit lethalis peccati condemnandus is, qui seipsum lucrī causa aleæ ludo expofuerit: nam quamuis libertatem periculo obiciat, lucrum nihilominus, (vt plerisque contingit,) sibi potest acquirere: hoc tamen locum habere puto solum, quando, hoc non est, cum graui detrimento familiæ, vel propinquo- rum, vel aliorum.

C A P. XXXII.

Quor & qua iure communi sint seruorum genera.

Primo quæritur, quo differat seruus ab eo, qui olim dicebatur Addictus? Quintilianus libro 7. cap. 3. Seruus, ait, differt ab Addicto, quod seruus cum manumittitur sit libertinus: Addictus, recepta libertate, est ingenuus. Seruus inuito domino libertatem non consequetur: Addictus, soluendo citra voluntatem domini consequetur. Ad seruum nulla lex pertinet: Addictus legem habet: propria liberi, qua nemo habet nisi liber, præ nomen, nomen, cognomen, tribum: habet hæc Addictus. Hæc Quintilianus. Sciendum est, Addictum dici, cum auctoritate Prætoris debitor creditori tradebatur, vt in eum, & vita, & necis potestatem haberet, eum soluendo non esset. Prætor autem tribus illis verbis utebatur, Do, Dico, Ad dico. Apud veteres Romanos lege duodecim Tabularum, Debitor, cum soluendo non erat, in potestatem creditoris deditur, & neruo atque compedibus vinciebatur; & nisi paciscerentur debitor & creditor, in vinculis debitor sexaginta dies habebatur, quibus diebus tribus nundinis continuis ad Prætozem in comitium produce-